UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sacrum Herculis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

PUELLARES INEPTIÆ. CAP. VII.

Sed & μῆλον etiam exponitur, ἔρως, amor quod μῆλον ſit illecebra ad Venerem, ex Theocr. Idyl. 6.

A ET mala puellarum ludicrum vocat Nicander in Alexipharmacis.

Τοιαῖς ὄρεσι Ἑσπερίαι παρθένοι ἐν ἀθύρμασι κούραις.

ἀθύρματα τὰ παιγνία, exponit interpres: ludunt enim puellæ, oblectanturq; malis. Multa vero hujuſmodi, quæ ad inſaniam propemodum tendunt, inter ineptientes amatores fieri videmus, ut merito nonnulli dicant ἀφροδίτην dictam, παρὰ τὸ ἀφραίνειν, id eſt, à deſipiendo, cum præſertim Euripides dicat, Τὰ μωρὰ γὰρ πάντ' Ἀφροδίτης βροτοῖς. *Mortalium eſſe ineptias quæcunq; Veneris cauſa fierent.* Atque ob hoc ipſum Catullus amicum Flavium veretur, ne quid ineptiarum faciat.

VENUS. CAP. VIII.

Veneris ſtatua apud Sicyonios.

IPſa etiam Venus malo inſignis eſt. Nam apud Sicyonios ſtatua ei erecta erat cum malo in manu una, papavere in altera: ex malo quidem amorem, ex papavere vim prolificam, ac ſeminis copiam ſignificantes. Nam & lepus illi ob fœcunditatem dedicatus, id quod in Amoribus Philoſtratus, ut ejus animalis commentario alibi explicuimus, ſumma narrationis laſcivia percurrit. Idem author Venerem in antro ſtatuit molliter in ſtratis floribus recubantem, juxta quam fons irriguus vitrea perſpicuus claritate proſilit. Ibi amatoriam Veneris ſuppellectilem pyxidas, pectines, ſpecula, cymbala cum crotalis, omniaq; arma pruriginis, amœnitatumq; & illecebrarum alia atq; alia illectamenta recenſe- B repoſſis, quibus colluſtrandis oculos quidem delaſſari ſentias, ſatiari vero numquam. Quod vero in antro cubitet Venus, apud Græcos eſt μυχία ἡ Ἀφροδίτη, *Mychea Venus*, quod ſeceſſu & abdito loco gaudeat. μυχοὶ γὰρ οἱ ἐν δόμοις καὶ ἀπόκρυφοι τόποι, *interiores, maximeq; remoti, & occulti obſcuriq; loci.* Tum ipſius Deæ munera Latini Furta nuncupavere, quia celari vult ſua furta Venus. Quare Daphnis apud Theocritum in Venerem indignatus, eam in Idam montem remittit ad Anchiſem, ubi quercetum eſt, in quo ſcilicet occultari poſſit, nulloq; rubore in molli cyperi prato laſcivire.

Hinc Muſæus eam ſecretam Apulejus clandeſtinam, & Ovid. lib. 2. de Arte, furtivam vocant.

NEMESIS. CAP. IX.

ERat & mali arboris ramus in manu læva Nemeſeos, quam Marathoniæ pugnæ monumentum Phidias lapide Pario dicitur excidiſſe Athenis, corona cujus, & cervis, & parvis quibuſdam victo- C riis inſignita: dextera vero phialam tenebat cum Æthiopibus inſculptis, propter Oceanum fluvium, quem Æthiopes accolunt. Ea vero de cauſa mali ramus Nemeſi geſtandus dedicatur, quod Veneris habitu Nemeſis dea ſit primum ſolita figurari, ut habetur in Suidæ collectaneis: nam alterum illud de ſtatua Phidiaca, apud Pauſaniam eſt.

SACRUM HERCULIS. CAP. X.

Pol. lib. 1. de vocabulis rerum.

NEque tamen iverim inficias, aliis quoq; diis malum fuiſſe gratam, ut victimarum loco nonnunquam acciperetur, ac feliciſſime litaret. Nam ſi quando Bos, quam Herculi ſacerdotes immolare voluerant, aufugiſſet, malum illi ramis quatuor compoſitis, quadrupedis illius inſtar ſacrificabant. Hujus rei mentio eſt apud Suidam, neq; non apud Pollucem. Narraturq; res ſuper hiſtoria de Bœotorum hoſtia, quæ fluvio Aſopo ita aucto, ut tranſiri non poſſet, eo loco unde victima erat adducenda, ne qua ſacrificio mora fieret, pueros ajunt malum quatuor ſtipulis vice pedum ſuſtentaſſe, duaſq; D loco cornuum addidiſſe, atq; ita Herculi obtuliſſe: cumq; ita litare viſi eſſent, rem in conſvetudinem proceſſiſſe, atque μήλιον inde Herculem appellatum, quaſi Pomonum dicamus. Alii eventum hujus pomi pro Bove oblati ad Athenienſes transferunt: nam Bœoticum ſacrum loco arietis fuiſſe volunt, Apollodoro hæc apud Zenodotum tradente.

Bœotorum hoſtia Herculi.

Hinc proverbium μῆλον ὁ Ἡρακλῆς, Pomarius Hercules. Chil. 2 cen. 7. proverb. 7. de ſpecie magnifica, ſed reipſa impotente.

APOLLO. CAP. XI.

QUin & Apollo mali coronam, priuſquam laurum ſeligeret, adamavit, eaq; victores in certaminibus coronari voluit, ut in luculento Archiæ tranſticho legitur: Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες. quod Epigramma in omnium jam manibus verſatur. Apud Pauſaniam legas ſtatuam Apollini μηλιάτῃ erectam, ſive à malo quo gauderet, ſive ob paſtoralem, quam per aliquot annos vitam egit. Nam μῆλα propriè τὰ θρέμματα τὰ προβατώδη. Unde uniuſcujuſque quadrupedis tergus melote dicitur, ut obiter Pauli locus animadvertatur ex epiſtola ad Hebræos cap. XI. *Circumierunt in melotis.* Sed & μήλων τὰς χώρας,